

84006/13

ZACHARIAS HERMANNUS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR, ECCLESiarum

Scholarumq; VVratislaviensium Pastor &
Inspector.

Christiano Lectori ευπραΰσει.

Religionis Christianae dogmata praestantiora sunt Ethnicorum commentis. Si enim cum Mose Herodotus, sacra Nomothesia cum Pythagoræ numeris, Regum Chronographia cum Livii decadibus, sublimes illi concentus Psalmorum cum Pindaricis adulationibus, Proverbia Salomonis cum Theocriti Idyllis conferantur, in his siue res, siue celsitudines Principum consideres, nihil simile, omnia ex diametro intra se distant: ut ex illis nulla pharmaca, quæ ad pietatem Christianam faciant, sic ex scripturis θεοπνευστοῖς locupletissima vitæ beatioris munera colligimus. Sit it aliquis justitiam! hic reperiet fontem limpidissimum aquæ salientis in vitam æternitatis. Si quis dolet, torquetur, aut ærumnis premitur: omnigenæ consolationis flosculos ex verbo DEI scripto, fidei manu decerpit. Ex sacra Bibliorum Oeconomîa cumulatisima nobis paratur supellex virtutum, pietatis & doctrinæ. Illius scientia, omnium est temporum, locorum, ætatum. Hæc namq; pueritiâ alit, erudit adolescentiam, juventutem frenat, & regit, maturæ jam ætati gravitatem simul & decorem addit, deniq; magnum hæc est senectuti solatium, deficientiq; jam homini, & ad mortem festinanti, sufficiens pariter ac jucundum viaticum.

Quem in finem Actuum Apostolicorum, & Epistolæ ad Romanos pertractationem hæcenus cum bono DEO absolvi, primum Didacticè & ἀσκητικῶς veritatem docendo, Deinde Elencticè & ἀνασκητικῶς veritatis falce, errorum sarmenta refecando. Theologiam enim docendi duplex via est, una de veritate, altera pro veritate, utraq; conjugii sacro copulata & ad Theologiam pertractandam necessaria.

Rursus autem piæ & studiosæ juventuti affectum meum testor, quia DANIELIS PROPHE-
TÆ nobilissimi, summi Regis Christi legati, regio genere orti, enarrationem die Jovis hora ix. ordiri constitui, de quo luculentissimum DEI apud Ezechielem capite vigesimo octavo extat testimonium atq; præconium. Increpans enim Deus arrogantiam principis Tyri de suâ sapientiâ superbè gloriantis, dixit: Ecce sapientior es tu Daniele? quo satis declaravit, Daniele fuisse eo tempore sapientissimum mortalium. Et si Prophetia illius accuratè introspectiatur, quàm sanctis, quàm abstrusis, quàmq; plenis consolationum documentis abundet, incorruptâ piorum omnium sententiâ Liber Danielis pronunciari θεόπνευστος ac divinus meretur. Totus sanè vates iste regius in hoc incumbit, ut æternum gloriosumq; Christi regnum, magnificè efferat, prædicet, celebret, præq; illo omnia mundi regna, vana & caduca ostendat. Habet item & hoc rarum, quod ipse totius mundi πολυγῶνος (qua appellatione à divo Hieronymo honestatur) suorum futurorumq; seculorum usq; ad consummationem mundi χρόνους brevi, sed vero, & quantum piis nosse satis est, compendio persequitur, quod multo admirabilius est, quàm si, ut historici alii, suorum duntaxat vel temporum gesta, etiam aliis manifesta colligeret. Quin & hanc inter Prophetas palmam habet, vaticinia nimirum de tempore adventus Christi, & necis Messiae, de resurrectione mortuorum, deq; Iudæorum rejectione & desolatione. Interpretationis modum & methodum ipsa ἐπεγραφή ostendet, Vobis, Auditores, meam cum industriâ fidelitatem polliceor, de vestrâ attentione & assiduitate benè spero. Hoc igitur agamus: Ego fideliter docendo: Vos diligenter auscultando, Deus dabit incrementum. Fuerunt ante me, fateor, doctiores, qui in eadem arenâ cum laude & fructu sudarunt: ex quibus ut ex fontibus quod haurimus nostrum est; quisq; tamen iudicii sui vase. Itaq; nos & hæc nostra utilitati publicæ, Scholarum imprimis, maxime verò divinæ gloriæ consecramus, & Prophetarum OPT. Maximum, unicum humani generis Salvatorem Christum Dominum obsecramus, ut nos Spiritu suo regat, mentes nostras illuminet, ac in Ecclesiâ salutem docentes & discentes in hac Republicâ bonis omnibus augeat, fortunet, ac æternum beet. Amen. P. P. Breslæ Dominica VII. POST TRINITAT. Anno 1617.